IN NOMINE DOMINI AMEN.

Ad perpetuam rei memoriam.

IOANNES III. DEI GRATIA REX POLONIAE

Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae, Samogittiae, Kijoviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae, Czerniechoviaeq;.

Notum testatumq; facimus, Universis et singulis, quorum interest, huius et futuri Saeculi hominibus, Cuiusque Dignitatis, praeeminentiae, et Conditionis existentibus, aeternis temporum [illegible], plenariam praesentium notitiã habituris. Magnorum Imperiorum Status, diversarum Gentium Civibus fuisse, et nunc esse compositos, antiquitus atq; ad praesens quotidiana experientia probatum est. Ac quamvis Unicuiq; dulce Solum Patriae Sit, attamen forti bellicoso, et prudenti Viro, totus vix pro Patria Sufficit Orbis. Unde et antecedaneam Regni, atque Dominiorum Nostrorum pensando Seriem, quoties illi, penes quos Suprema rerum arbitria, et eminentia Monarchiarum fasces erant, aut prima Rerumpublicarum iecerunt fundamenta, [illegible] iacta ad mensuram Stabilire volebant aeternitatem, ex variarum Gentium institutis, velut ex diversis in humano corpore elementis, et compa[illegible] coalescere Studebant Respublicas. Nimirum non ignorantes eas, tunc vel maxime florere, Cum Augustus Regnorum Imperiorumq; apex ex multiplici proborum Strenuorum Illustriumque Virorum varietate, Suum habet et foris ornamentum, et domi Stabilimentum. Et hinc mehercule Sapiens illa quae quâ oritur Sol, et quâ occidit, Graeca nempe, Romana Antiquitas, non modo diversas Iure Civitatum Suarum, donabat Urbes, Sed etiam Viros inusitata gloria, clara virtute Super aggressos, iure adoptionis ad Patriam libertatem, et Gentilitios non raro assumpsit honores. Caeterum et Divi Praedecessores Nostri, à Condita Statim Polona Gente, in id Singulariter ac praecipue intendebant, ut Exterarum Gentium Cives, vel Arcanis Scientiarum praeclari, vel bello fortes, et Strenui in Consortium Nobilitatis Sarmaticae, Indigenatusque adsciscerentur, et publicis munijs ornarentur, atq; in Spem praemiorum Universis libertatibus tantum Regni, et Dominiorum admoverentur. Testantur id tot florentes, in [illegible]tenus in Regno ditionibusque Nostris Prosapiae, ex Italia, Germania, Gallia, Anglia, Graecia, Hungaria, Dania, Creta, utraq; Dacia [illegible], et Sarmatico fertili insertae Solo, eos virtutum fructus, et odores ex Se ediderunt, quos plantae Arborum ex nativa, in alienam translatae glebam proferre consueverant. Naturâ quippe ita comparatum est, ut multarum Arborum plantae et Surculi, in vicina uberius Succrescant humo, et Suaviores ex Se, quam in haereditarijs Campis emittant odores. Revolvantur Sanè Gentis Nostrae Annales, et quod ipsa non diffitetur invidia, Videbit praesens et Subsecutura aetas, translatas ex [illegible] Regnis in Poloniam, et Magnum Ducatum Lithvaniae, Cunctasq; ditionum Nostrarum oras Familias, Conterminis Admirationi, dissitis Venerationi, hostibus terrori, Poloniae Ornamento Semper extitisse, et extare, quod et ipsa continuo plenis buccinat fama. Quod cum ita fieri quotidiano discamus experimento muneris Nostri Regij esse arbitramur, in id Studio incumbere, ut Regnum Nostrum post laxatam dispensante occulta fatorum lege, vel solita florentissimorum quorumvis Imperiorum vicissitudine Sui compagem, Externorum Virorum coalescat rursus accessione. Porro tot alios quorum virtutes hoc rerum in [illegible]tentrione, temporumque motu et admiramur, et veneramur. **Generosus Joannes Georgius Kreczyk** Legione Magnifici Martini Katski, Generalis Terrarum Kyoviae Palatini, et Artileriae Regni Supremi Praefecti, Militaris Germanicae Equestris turmae Primarius Capitaneus, è Ducatu Silesiae oriundus, amplissimae fortunae ac possessionis in [illegible] Plesnensi, et Bitomiensi Haereditarius, Singularum varij Sermonis peritissimus, famâ et Herculearum Virtutum commendatione, anteire videtur [illegible] ab ipsis primae aetatis rudimentis totum Satagebat, quae Nomini ipsius gloriam et immortalitatem comparare possint, talesq; ex Suo Parente **Generoso Andrea Kreczyk** Strenuo, bellicoso, forti Viro ingressus est impavidus iter, quod Fortuna [illegible] monstravit. Cumq; utilem Saepius, quâ Nobis, quâ toti Reipublicae Militarem navavit Suam operam, ad recommendationem Magnificorum Ductorum, Exercituum Regni, et Magni Ducatus Lithvaniae, dignum eê censuimus, quin eundem, Successoresq; de lumbis legitimos, utriusq; Sexus descendentes, aut descensuros, Indigenatus Regni Cunctarumq; in Universum Gentium, a ditionum Nostrarum ornamento, accedente totius Reipublicae, In Comitijs Regni Generalibus, Varsaviae Anno praesenti, Millesimo, Sexcentesimo, Octuagesimo Quinto celebratis, Consensu Illustraremus, [illegible] lege publica illustravimus, et donavimus. Caeterum ut egregia ipsius gesta recenseamus: Sciat praesens, et subsecutura aetas, ac posteritas, memoratum **Generosum Ioannem Georgium Kreczyk** in Martio Campo opposito pectoris Sui, Hostium [illegible] Turcarum [illegible], et undique degentibus coacervatorum ad obsidione liberatam Austriae Viennam, in Regno Ungariae, ad Parkanum, et alia Praesidijs firmata loca, in [illegible] Nostra Regia, in Regno quoq; Nro, in bellicis Camenecensi, Zoraviensi, Bukovinen, Budziacensi, alijsq; plurimis expeditionib; impetus, Saepe Saepius Sustinuisse, et fregisse. Ille inter aspera tempestatum bella, irretorto oculo, per medios ignes, et Saeva ruentium [illegible] barbara tonantis tonitrua, imperterritâ animi magnitudine, Strenuum, et alacrem, in omnibus occasionibus Militem se exhibuit. Ille inedia Sitiq; et aeris procellis infractus, in Castris cum Artileria Regni, quaquâ versum, primus in Aciem prorumpebat, Ubiq; pro gloria Dei, Maiestatis Nostrae dignitate, et totius Reipublicae incolumitate pugnaturus, et pugnans, toties pugnae lauream reportavit. Ideo uti praemissum est, de Nra Speciali gratia Regia et consentientibus Universis Statibus, et Ordinibus Regni, et Magni Ducatus Lithuaniae ad praerogativas Indigenatus ipsum assumere aequissimum iudicavimus, prout hocce Diplomate Nostro Indigenam realem Regni, eiusdem Magni Ducatus Lithuaniae, annexarumque Provinciarum, dicimus, facimus, creamus, pronuntiamus, et constituimus illumq; cum prole, utriusq; Sexus, ex lumbis ipsius nata, et nascitura, legitima omnium Iurium, immunitatum, libertatum, Praerogativarum, Honorum, et Dignitatum, omniumq; Officiorum, et Bonorum capaces esse, ac fore declaramus perpetuo, et in aevum, cum caeteris [illegible] Nobilibus Nostris, Dominiorumq; Nostrorum quiete, et pacifice gaudendi, et utendi, fruendi, omnimode habita facultate. **Stemma** verò Seu Insigne Ipsius Gentilitium Indigenatus praerogativae, quod ex Regno Angliae, ex Suis Parentibus Natalitium [illegible] erit. In medio ipso Scuti Seu Campi Equus Flavi Coloris, ad medietatem prioribus pedibus Supra, ad dextram Partem; et Cauda media circumplicata, ad Sinistrum latus desuper, vel sursum erectis, in Nigro toto Superiori Campo existens, In parte inferiore Subtus Equum, Tabula laterunculata, Nigri et flavi coloris, distinctim posita, Circumflexis ab utrinque stemmatis Solitis in dextra, et deinfra contortis picturis, ac delineationibus. Supra Stemma ipsum Galea Militaris adaperta, consuete ferrea, et Superius illam Corona Regni Aurea. In Summitate denique, alias Na Chelmie, Virgo medietenus in Nigro vestitu, Capite ligato, expansis hinc inde manibus, in dextra nigram, in sinistra flavam tubam tenens, quale hic artificiosa Delineatoris Manu depictum et elaboratum [illegible] auctoritate Nostra Regia [illegible] confirmamus, et circa idem Conservamus. Quo Stemmate praefatus **Generosus Ioannes Georgius Kreczyk** cum [illegible] tam Virilis, quam Muliebris Sexus, omnibus Suis Actionibus publicis et privatis, Domibus, rebus, Clenodijs, Annulis, Secure, et libere utetur, atque eodem uti moris est, omnia [illegible] Sua, Structuras, [illegible], Vexilla, Hastiludia, totamque Suppellectilem, pro consuetudine, et recepto usu omnium Nobilium, et Indigenarum Regni, ac Magni Ducatus Lithuaniae, annexarumque Provinciarum connotabit, absque cuiusvis impedimento, perpetuis temporibus, et in aevum. Quod omnibus quorum interest, Spiritualibus, et Saecularibus Regni Nostri, et Magni Ducatus Lithuaniae Senatoribus Proceribus, Provinciarum Dignitarijs et Officialibus ac Universae Nobilitati Notum facimus, volumusque ut exemplo Nostro praememoratum **Generosum Ioannem Georgium Kreczyk** et eius Succedaneam, quâ Virilis quâ Muliebris Sexus posteritatem favore et Consortio Suo dignos et habiles habeant, et reputent Studijs benevolentiae prosequantur, ac pro vero, et legitimo Indigena agnoscant, et [illegible]ment, iuxta praesens Diploma Nostrum, et Constitutionem Superius Specificatam, [illegible] praesentibus Comitijs Sancitam, pro gratia Nostra et Sub poenis in Detractores bonae famae lege publica cautis, et descriptis. In cuius rei fidem, et evidentius testimonium, praesens Diploma Nostrum, Manu Nostra Subscriptum Sigillo Maiestatis Nostrae Regiae communiri mandavimus Datum Varsaviae in Comitijs Regni Generalibus, Die XVIII Mensis Julij, Anno Domini MDCLXXXV. Regni Nostri XII [illegible] Praesentibus Reverendissimis, in Christo Patribus, Dominis, Illustrissimis, Magnificis, et Generosis, Joanne Mala[illegible] Cracoviensi, Duce Severiae, Bonaventura Madalinski Cuiaviensi, et Pome[illegible], Stanislao Wierzbowski Posnaniensi, Alexandro Kotowicz Vilnensi, Stanislao Dabski Plocensi, Michaele Radzie[illegible] Varmiensi, et Sambiensi, Procancellario Regni, Stanislao Witwicki Lucceoriensi, [illegible] Premisliensi, Joanne Opalenski Culmensi et Pomesaniae, Hyacintho Swiecicki Chelmensi, Andrea Zalu[illegible]ski Kijoviensi, Sacrae Reginalis Maiestatis Cancellario, Nicolao Poplawski Livoniae, Episcopis; [illegible] Potocki Castellano Cracoviensi, Campi Ductore Exercitus Regni, Felice Potocki Cracoviensi, Christophoro Grzymultowski Posnaniensi, Casimiro Sapieha Vilnensi, Exercituum Magni Ducatus Lithuaniae Generali Supremo, Josepho Slu[illegible] Castellano Vilnensi Campi Ductore Exercitus Magni Ducatus Lithuaniae, Raphaele Leszczynski Calissiensi Cypriano Brzostowski Trocensi, Joanne Odrowąż Pieniążek Siradiensi, Sigismundo Dąbski Brestensi Cuiaviensi, Martino Katski [illegible] Artileriae Regni Generali, Carolo Lasocki Podoliae, Carolo Jarlo Lublinensi, Samuele Prażmowski Plocensi, Vladislao Łoś Pomeraniae, Joanne Gninski Brzeclaviensi, Ernesto Dönhoff Mariaeburgensi Friderico Ottone Felkierzamb Czerniechoviensi Palatinis. Alberto Constantino Breza Posnaniensi, Melchiore Grudzinski Siradiensi, Spytkone Pstrokonski Brestensi Cuiaviensi, Feliciano Paris Lublinensi Castellanis. Stanislao Lubomirski Supremo Rni Marschalco Joanne [illegible] Rni Minoris Poloniae Generali, Martino Oginski Mag: Duc: Lithae Supremis Cancellarijs, Martino Zamoyski Rni Paulo Sapieha Mag: Duc: Lithae Supremis Thesaurarijs, Hyeronimo Lubomirski Rni Equite Melitensi, Andrea Dolski Mag. Duc: Lithae Curiae Marschalcis, Francisco Prazmowski, Secretario Rni Maiore, Christophoro Gninski Rni, Eustachio Kotowicz Mag: Duc: Lith Spiritualib. Referendarijs Joanne Krasinski Saeculari Referendario Joanne Rzewuski Rni Leone Sapieha Mag: Duc: Lithae Curiae Nrae Thesaurarijs, Georgio Denhoff Pokrzywniceñ Nominato Eppo Cameneceñ, Stanislao Kraiewski Decano Gnesneñ Maioris, Christophoro Taranowski Crac: Var: Canco Secretario Nro Stanislao Szczuka [illegible] Minoris Cancellariarum Regni Regentibus Adamo Sarnowski Intimo Camerae Nrae Notario, Sebastiano Gilbaszewski Instigatore Regni, Stephano Hankiewicz, Rni Casimiro Puchalski Mag Duc: Lith. Decretorum Notarijs, alijsq; quamplurimis, [illegible] ac Generosis Senatoribus, Dignitarijs, Nuntijs Terrestribus Regni, et Magni Ducatus Lithuaniae, Marchionibus, Baronibus, Comitibus, Aulicis, et Secretarijs Nostris, pro praesentibus Comitijs Regni Generalibus convocatis, et congregatis.



Joannes Rex

Indigenatus Generoso Ioanni Georgio Kreczyk, Primario Capitaneo Militaris Germanicae Equestris turmae.

[illegible] Michael Denhoff
[illegible] Capitaneus
[illegible] Secretarius





